Regum & Paralipomenon uſque in Kalendas Auguſti. In Dominica prima menſis Auguſti ponunt Salomonem uſque in Kalendas Septembris. In Dominica prima Septembris ponunt Job, Tobiam [b], Heſter, Eſdram uſque in Kalendas Octobris. In Dominica prima menſis Octobris ponunt librum [c] Machabæorum uſque in Kalendas Novembris. In Dominica prima menſis Novembris ponunt Ezechielem, & Danielem, & minores Prophetas uſque in Kalendas Decembris. In Dominica prima menſis Decembris ponunt Eſaiam Prophetam uſque ad Nativitatem [d] Domini. In Natali ι Domini [e] legunt primùm de Eſaia tres lectiones. Prima lectio [f], Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, &c. Secunda [g], Conſolamini, conſolamini. Tertia [h], Conſurge, conſurge. Deinde leguntur Sermones, vel Homiliæ ad ipſum diem pertinentes. In natali Sancti Stephani Homilia de ipſo die. In natali Sancti Joannis ſimiliter. In natali Innocentium ſimiliter. In natali Sancti Sylveſtri ſimiliter [21]. In octava Natalis Domini Homilia de ipſo die. In Dominica prima poſt Nativitatem Domini ponunt Epiſtolas Pauli uſque in Septuageſimam. In Epiphania lectiones tres de Eſaia: Prima lectio incipit [i], *Omnes ſitientes*. Secunda [k], *Surge, illuminare Hieruſalem*. Tertia [l], *Gaudens gaudebo in Domino*. Deinde leguntur Sermones, vel Homiliæ ad ipſum diem pertinentes.

[b] Judith, Heſter, *Ivo*.
[c] Libros, *Ivo*.
[d] *al.* in natalem.
[e] *al.* in vigilia natalis Domini, *Burc.* & *Ivo*, & *ordo Romanus*.
[f] *Eſa.* 9.
[g] *Eſa.* 40.
[h] *Eſa.* 52.
[i] *Eſa.* 55.
[k] *Eſa.* 60.
[l] *Eſa.* 61.

¶ Corr. Rom. α *Mandamus.*] Poſt hoc verbum in Decreto Gelaſii ſequitur continenter: *Item Opuſcula B. Cypriani*, &c. Sed Burchardus, & Ivo, & Pannormia habent ut Gratianus. Ac certè in toto hoc Capite tot modis diſcrepant Collectiones ab Originali, ut ſatis certò ſtatui non poſſit, quæ vera & pura ſit Gelaſii lectio; nec magnopere ſit mirandum, ſi nonnulla ſint, quæ difficultatem faciunt. Quamobrem, quæ auxilio codicum tutò emendari poterant, ea ſunt emendata: ceteris locis partim indicatæ varietates; partim, quoniam omnes indicare infinitum fuiſſet, labor hic ad libros adeundi accurato Lectori eſt relictus.

β *Item geſta.*] Hinc uſque ad finem Capitis omnia abſunt à pleriſque vetuſtis Gratiani codicibus: quod etiam Archidiaconus annotavit. Sunt tamen ejuſdem Gelaſii uſque ad verſ. *Ceterum qui libri*, & apud Burchardum, & Ivonem referuntur proximè poſt ſuperiora.

γ *Juvenci.*] Antea legebatur, *Item Vincentii*: reſtituta eſt vera lectio ex Gelaſio, Burchardo, & Ivone. De quo Juvenco meminit B. Hieronymus in Catalogo.

δ *De Sancta Maria.*] In Collectione Iſidori legitur, *& de Maria & obſtetrice*. Apud Burchardum, *& de Maria vel obſtetrice*. Apud Ivonem verò, *& de S. Maria, vel de obſtetrice Salvatoris*.

ε *Ceterùm.*] Hinc uſque ad finem, neque in Collectione Iſidori, neque in ullo veteri codice Gratiani eorum, quæ collata ſunt, inveniuntur. A verbo tamen, *in Septuageſima ponunt*, referuntur à Burchardo & Ivone ſine autoris nomine, in Pannormia ex Gelaſio ipſo cum LXX. Epiſcopis. Ferè autem omnia habentur ſparſim in Libro, qui *Ordo Romanus* nuncupatur.

ζ *Pentateuchum.*] Apud Ivonem legitur, *Heptateuchum*, ut ultra quinque libros comprehendat librum Joſue, & Judicum, qua voce, ac librorum conjunctione Beatus Hieronymus ad Lucinium ſcribens utitur. Alii verò Heptaticum appellant, ut Sanctus Gregorius *lib.* 7. *Ind.* 2. *Epiſtol.* 48. & *lib.* 10. *Epiſt.* 22. & alibi, & Rabanus *in Præfatione in Hieremiam*, & Ordo Romanus, *cap. de Septuageſima*.

η *In Pſalmum* 54.] Sic etiam apud Ivonem. In Ordine Romano, cap. de Officiis Divinis à cœna Domini uſque in octavas Pentecoſtes, & apud Burchardum legitur, *in Pſalmum* 63. id eſt, *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor*. Itemque in cap. de ordine in nocte Paraſceves, *Tres de tractatu Sancti Auguſtini de Pſalmo* 63.

θ *In octavis.*] Ipſam diem octavam ſolitam fuiſſe proferri nomine multitudinis, id eſt, octavas, notabitur infra *de conſecratione, diſt.* 3. *c. pronuntiandum*.

ι *In natali Domini.*] Burchardus, & Ivo habent *in Vigilia natalis Domini*, & ita in Ordine Romano, cap. quo inſcribitur, *In Chriſti nomine, incipit ordo Catholicorum librorum, qui in Eccleſia Romana ponuntur.* Pannormia autem habet ut Gratianus.

¶ Contius.] Sedit hic Gelaſius Papa doctiſſimus, ſub Anaſtaſio Orientis, & Theodorico Occidentis Imperatoribus circa annum CCCCXCI.

* *Centimetrum.*] Habebatur *Pentametrum* [in Editione Antuerp. ann. 1570.] ſed non parvus hic ſuberat error, cum nullum tale extet Virgilii carmen. In primo Conciliorum tomo Coloniæ poſtremùm impreſſo repoſitum eſt, *Centimetrum*. At nec ſic quidem ſat rectè; conſtat enim illud Poëma plus ducentis metris ſeu verſibus: extatque impreſſum ſub titulo Probæ Falconiæ Valeriæ feminæ clariſſimæ. Itaque legendum puto *Cento*, aut *Centrum*, ut etiam in Iſidoro manuſcripto, & in primis Conciliorum exemplaribus Lutetiæ parvâ formâ impreſſis, quæ in pleriſque ſunt ceteris emendatiora. Hieronymus quoque in Epiſtola ad Paulinum de ſacris Libris vocat *Vergiliocentonas*, & alium librum ſimilis argumenti *Homerocentra*: qui extant impreſſi ab Aldo.

* *Apocrypha.*] Hæc verba temerè ab aliquo ſcripſit adjecta Beatus Rhenanus in Præfatione quam edidit in principio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii, fortè ut librum vendibiliorem redderet. Sed non eſſe adjecta docet Corpus Canonum ab Iſidoro collectum, ubi conſtanter hæc verba ſcribuntur. Sed nec iis aſſentior, qui de alio Euſebio hunc locum intelligi volunt, quàm illius Cæſarienſis, cujus hodie extat utràque lingua Hiſtoria Eccleſiaſtica; nam & Nicephorus in præfatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ait in ejus Hiſtoria apparere cacoëthes ejus hæreſeos; & idem Gelaſius paulò antè id ſignificat.

* *Ticonii.*] Hic eſt Ticonius, cujus Auguſtinus *in libro de Doctrina Chriſtiana* meminit, citatque eas regulas de interpretatione Scripturarum.

¶ Pith. [1] *Gelaſius.*] Citatur à quibuſdam ex Hormiſdæ PP. Decreto. Vide Radulphum Tungrenſem Decanum *de Canonum obſerv. propoſ.* 11.
[2] *Beati.*] Abeſt à V. C.
[3] *Fideli.*] V. C. *fide vel*, vide Auguſtin. *Epiſt.* 48. III. Euſeb. *lib.* 3. *Hiſt. c.* 12. & Epiphan. *hær.* 30.
[4] *Romana.*] V. C. *Roma.*
[5] *Patrum conſultatione.*] V. C. duo, *Fratrum conſolatione*. al. *pro diverſarum partium conſultatione.*
[6] *Quis iſta.*] *Quis iſta Catholicorum*, &c.
[7] *Gregorii.*] V. C. *Georgii.*
[8] *Cum omni honore ſuſcipimus.*] Deſunt in V. Cod.
[9] *Sancta Crucis.*] V. C. *Cruces.*
[10] *Revelationes.*] V. C. *relationes.*
[11] *A Catholicis.*] Abeſt vox *à* in V. C.
[12] *Thaddæi.*] Tres V. C. *Matthiæ.*
[13] *Apoſtoli.*] V. C. *Evangelium nomine Petri Apoſtoli apocryphum. Evangelium nomine Jacobi minoris apocryphum.* Vide Auguſtin. *lib.* 22. *contra Fauſt. c.* 19. *lib. adverſus Adamant. c.* 17. & *lib. de Serm. Dom. c.* 38.
[14] *Hyrcius.*] V. C. *Ejicius.*
[15] *Liber de Infantia.*] V. C. *& liber.*
[16] *Liber Ogiæ.*] V. C. *nomine Og.* in al. *Liber de Regia.*
[17] *Apocryphus.*] Addit V. Cod. *Liber qui appellatur Phyſiologus, Laus Apoſtolorum, apocryphus.*
[18] *Sors Apoſtolorum.*] al. *Sortes.* Extant in veteri Cod. Apoſtolorum Canonibus ſubjunctæ.
[19] *Liber Luſanæ.*] V. C. *Suſannæ.*
[20] *Poſthumiani.*] Hieron. *lib.* 11. *in Ezechiel. c.* 36.
[21] *Similiter.*] Radulf. Tungrenſis Decanus *de Canon. obſerv. c.* 11. *p.* 544.

DE AUTORITATE ET NUMERO CANONUM APOSTOLORUM.

DISTINCTIO XVI.

Apoſtolorum verò Canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, ſicut quidam aſſerunt, dicuntur eſſe tranſlati α, ſunt quinquaginta. « GRATIAN. « 1. *Pars.* «

¶ Corr. Rom. α *Tranſlati.*] In titulo qui præponitur Canonibus Apoſtolorum in Collectione Iſidori, & in Concilio Stephani Papæ IV. (cujus magnam partem Deuſdedit Cardinalis in ſua Canonum Collectione refert) pro voce, *tranſlati*, habetur, *prolati*. Dionyſius certè Exiguus nullam hujus verſionis mentionem facit, & aliqui Scriptores ſolent Epiſtolas Clementis hoc modo citare, *Ex dictis Petri Apoſtoli per Clementem prolatis*; ut Autor Polycarpi, & alii.

[1] Hos non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos, ſcribit dicens « GRATIAN.

I. Isidorus. [circ. ann. 700. *in Hiſpania.*]

Apoſtolorum Canones Apoſtolica rejiciuntur autoritate.

Canones [2] qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec Sancti Patres illis aſſenſum [3] præbuerunt, pro eo quòd ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis [3] utilia inveniantur; tamen ab autoritate Canonica atque Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.

¶ Corr. Rom.] Caput hoc eſt in Præfatione Iſidori ad Collectionem Conciliorum, quæ ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ deſcripta Romam miſſa eſt. Nam in illa quæ vulgatæ Iſidori Collectioni, de qua initio dictum eſt, præponitur, contrarium potius videtur dici, & refertur infra c. *Placuit. hac ead. diſt.* ſi modò idem eſt Iſidorus.

¶ Pith. [1] *Canones*, &c.] Baron. to. 2. Annal. Eccl. *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, licet apocryphi habeantur; tamen plures eos recipiunt*, &c. Vide Turrian. *lib.* 1. *c.* 23.
[2] *Aſſenſum.*] V. C. *conſenſum.*
[3] *In eis.*] V. C. *in eis quædam utilia tamen inveniantur, autoritate*, &c.

Econtra autem ſcribit « GRATIAN.

II. Zepherinus Epiſcopis per Siciliam conſtitutis, *Epiſt.* 1. [an. Chr. 198. *Româ in Siciliam.*]

Apoſtolorum Canones ſunt recipiendi.

Sexaginta α ſententias [a] Apoſtoli præſcripſerunt [b], cum aliis plurimis Epiſcopis, & ſervandas cenſuerunt.

[a] Ivo, *p.* 4. *cap.* 107. Pann. *l.* 2. *cap.* 105. Polyc. *l.* 3. *tit.* 20.
[b] *al.* Præfixerunt. *orig.*

¶ Corr. Rom. α *Sexaginta.*] Ivo etiam, & Autor Pannormiæ habent, *Sexaginta*. Itemque originale in margine. Sed in textu, *Septuaginta*. Polycarpus, *Quinquaginta*.

III. *Item* Leo α Papa IX. * contra Epiſtolam Nicetæ Abbatis. [4] [an. Chr. 1054. *Româ Conſtantinopolim.*]

Exceptis quinquaginta capitulis, Canones Apoſtolorum inter apocrypha deputantur.

Clementis [c] Librum, id eſt, Petri Apoſtoli Itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha *, exceptis quinquaginta Capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ [d] fidei adjungenda.

[c] Ivo, *p.* 4. *cap.* 105. Pann. *l.* 2. *cap.* 124.
[d] *al.* regulis orthodoxis. *al.* regulis orthodoxiæ.

¶ Corr. Rom. α *Item Leo.*] Hoc Caput ſumptum eſt ex reſponſione Humberti Legati Leonis noni ad libellum Nicetæ Presbyteri, & Monachi contra Latinos editum: quæ Romæ in Monaſterio Sanctæ Mariæ novæ, & in multis privatis Bibliothecis extat manuſcripta. Meritò autem potuit citari Leo IX. quòd ejus autoritate, & juſſione Humbertus Legatus Sedis Apoſtolicæ ea ſcripſerit.

¶ Contius. * *Leo IX.*] Leo nonus ſedit circa annum Chriſti 1050. regnante Henrico rege Francorum.

* *Apocrypha.*] Hoc ſanè veriſſimum eſt vel hac ratione quòd quotquot extant Latina Canonum & Conciliorum exemplaria, non plures quàm quinquaginta priores Apoſtolorum Canones habent. Et Gloſſæ quædam manuſcriptæ, apud Gratianum aiunt, hodie ab Eccleſia Latina teneri, quod dicitur *hoc c. Clementis*, & alios XXXV. Canones eorumdem Apoſtolorum in deſuetudinem abiiſſe.

¶ Pith. [4] *Nicetæ Abbatis.*] De Monaſterio Studii.

IV. *Item* VI. Synodus, *cap.* 2. [an. 693. *Conſtantinopoli.*]

Placuit [e] huic Sanctæ Synodo, ut amodo confirmata & rata ſint Canonum Apoſtolorum LXXXV. Capitula.

[e] Ivo, *p.* 4. *cap.* 106. Pann. *l.* 2. *cap.* 125.

Epiſtola α *Iſidori in capite Canonum.* [c. an. Chr. 800. *in Hiſpania.*]

Iſidorus [f] *ſervus* β *Chriſti*, *Lectori ſuo conſervo.* §. 1. Propter eorum autoritatem ceteris Conciliis præponimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licèt à quibuſdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum ſententias Synodali autoritate roboraverunt, & inter Canonicas poſuerunt Conſtitutiones. *Item infrà.* §. 2. Primò quidem ordo, ut prædictum eſt, de celebrando Concilio inſertus habetur: & poſtmodum Canonum Apoſtolorum, ac primorum Apoſtolicorum (id eſt, à Sancto Clemente uſque ad Sanctum Silveſtrum) Decretorum, atque diverſorum Conciliorum Breviarium interpolatur ſequens ordinem ſuum.

[f] Ivo, *par.* 4. *cap.* 107. Pann. *l.* 2. *cap.* 125.

¶ Corr. Rom. α *Epiſtola.*] Hæc Epiſtola ab Ivone vocatur *Præfatio in opus Canonum*, & eſt ea, quæ Iſidori nomine eſt præpoſita Tomis Conciliorum, licèt in vetuſtiore editione, in qua purior eſt Iſidori Collectio, nonnulla verba deſiderentur. Eſt autem confectum hoc Caput ex duobus locis illius Præfationis. Nam verba illa, *Propter eorum autoritatem*, &c. uſque ad verb. *Conſtitutiones*, non longè abſunt ab initio. Reliqua verò ſunt in extremo.

β *Iſidorus ſervus.*] In Pannormia eſt eodem modo atque apud Gratianum. Apud Ivonem, & in manuſcriptis Collectionis illius codicibus eſt, *Iſidorus Mercator ſervus Chriſti conſervo ſuo*, *& parenti fidei* [g], *in Domino ſalutem.* In vulgatis autem Conciliorum editionibus, *Iſidorus Peccator*, *ſervus*, &c.

[g] *al.* fideli.

GRATIAN. » Item cùm Hadrianus Papa Sextam Synodum recipiat » cum omnibus Canonibus ſuis, cùm etiam ſancta octo uni- » verſalia Concilia profeſſione Romani Pontificis ſint robora- » ta; in Sexta [h] autem Synodo, ſive in ſeptimo Concilio, » Apoſtolorum Canones ſint recepti & approbati: patet, quòd » non ſunt inter apocrypha deputandi: Unde ſcribit

[h] *al.* ſeptima Synodo, ſive Concilio. *al.* ſexta Synodo, ſive in ſexto Concilio.

V. Hadrianus [5] Papa Tharaſio Patriarchæ. [an. Chr. 785. *Conſtantinopoli.*]

Sexta Synodus autoritate Hadriani corroboratur.

Sextam α Synodum [6] [i] Sanctam recipio cum omnibus Canonibus ſuis.

[i] Ivo, *p.* 4. *cap.* 122.

¶ Corr. Rom. α *Sextam.*] Hoc habetur in ſecunda actione Septimæ Synodi in Epiſtola Hadriani ad Tharaſium. Sed eo in loco Hadrianus refert verba Synodicæ Epiſtolæ à Tharaſio ad ſe miſſæ. Et hìc Gratianus non refert propria ejus Epiſtolæ verba. In verſione enim Anaſtaſii Bibliothecarii ſic legitur, *Invenimus autem in prædicta Synodica Epiſtola Sanctitatis veſtræ, poſt plenitudinem fidei & confeſſionem ſacri ſymboli, & omnium ſanctarum ſex Synodorum, & de ſacris & venerabilibus characteribus miraculum laude ac veneratione digniſſimum contineri. Quare & eaſdem ſanctas ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ jure, ac divinitùs ab ipſis promulgatæ ſunt.* Et hæc quidem poſtrema verba ſunt etiam in illa ipſa Tharaſii Epiſtola: quod ex Concilio Græco, & nova interpretatione clarè apparet.

¶ Pith. [5] *Hadrianus.*] Vide *Concil.* VII. *act.* II. Franc. Tomſis *de* VI. *Synodo p.* 33. arguit falſi Gratianum: ſed Grut. verba Epiſtolæ Tharaſii ab Hadriano in ſua relata pro Hadriani verbis poſuit. Baronius aliter *Annal.* Cent. 2. *c.* 16.
[6] *Sextam Synodum.*] Vide Centuriat. *tom.* 9. *p.* 530. 537.

Sed dubitatur de ea, an Canones conſcripſerit: quod ex quarta actione Sextæ β Synodi facilè abſolvitur. Ait enim « GRATIAN. «

¶ Corr. Rom. β *Sextæ.*] In ſecundo & XII. Vaticanis eſt, *ſextæ*, aliàs *ſeptimæ*; & verè ſeptima eſt, ſed ob Gloſſam nihil eſt mutatum.

VI. Petrus Epiſcopus Nicomediæ. [an. Chr. 785. *Conſtantinopoli.*]

Sexta Synodus Canones conſcripſit.

Habeo librum α [k] continentem Canones ſanctæ Sextæ Synodi. Patriarcha dixit: §. 1. Quidam ſcandalizantur per ignorantiam pro Canonibus iſtis, dicentes; numquid Sexta Synodus Canones fecit? Sciant ergo, quoniam ſancta Synodus Sexta ſub Conſtantino congregata eſt contra eos, qui dicebant unam operationem, & unam voluntatem eſſe [7] in Chriſto: in qua Sancti Patres illos, ut hæreticos anathematizaverunt, & orthodoxam fidem explanaverunt. §. 2. Et ſoluta Synodus eſt Conſtantini XIV. anno. Poſt quatuor verò, aut quinque annos iidem Sancti Patres congregati ſunt ſub Juſtiniano filio Conſtantini, & prædictos Canones promulgaverunt: de quibus nullus [8] dubitet. Qui enim ſub Conſtantino in Synodo fuerunt, iidem ipſi Epiſcopi [9] ſub Juſtiniano iſtis Canonibus ſubſcripſerunt. Oportebat enim ut Synodus univerſalis Canones Eccleſiaſticos promulgaret. *Item.* §. 3. Sancta [l] Sexta Synodus poſt promulgatam ab ea diffinitionem contra Monothelitas, Conſtantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multò pòſt defuncto, & Juſtiniano ejus filio regnante pro eo. §. 4. Eadem Sancta Synodus divinitùs inſpirata, iterum Conſtantinopoli quarto, aut quinto anno congregata eſt, & Canones numero CII. ad correctionem Eccleſiæ promulgavit.

[k] *Ex actione quarta ſeptimæ Synodi.* Ivo, *p.* 4. *cap.* 121.
2. *Pars.*
[l] *Ex ſexta actione ſeptimæ Synodi.*

¶ Corr. Rom. α *Habeo librum.*] Verba ſunt Petri Epiſcopi Nicomediæ, ac Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, actione quarta ſeptimæ Synodi: quod quidem ipſi de centum ac duobus Canonibus dixerunt, qui in Trullo tempore Juſtiniani Rhinotmeti ſecundo anno ſuæ revocationis ad Imperium, editi ſunt. Verùm ex his ipſis verbis Tharaſii apparet, eos Canones non eſſe proprios ſextæ Synodi; quia fatetur poſt annos quatuor, aut quinque, quàm ea Synodus fuerat abſoluta, Canones illos fuiſſe editos; quo tempore certiſſimum eſt neque eumdem Romanum Pontificem, neque eoſdem Epiſcopos fuiſſe. Quamquam in hac ratione temporis potiùs credendum eſt diligentiſſimis Chronologis, Theophani, (cujus etiam verba quæ ad hunc locum pertinent ex originali Græco, quod in Bibliotheca Vaticana extat, ſatis fideliter translata leguntur apud Franciſcum Turrianum, libro de VI. VII. & VIII. Synodo) & Anaſtaſio, & Georgio Cedreno, quàm Tharaſio. Illi enim non quatuor, aut quinque, ut Tharaſius, ſed viginti ſeptem annos à fine ſextæ Synodi tempore Agathonis habitæ, uſque ad hanc hujuſmodi Decretorum editionem aſſerunt interceſſiſſe. Epiſcopos verò, qui hos ediderunt, noluiſſe ipſos edere tamquam Canones ſextæ Synodi, ſed voluiſſe ſupplere, quod videbatur in quinta, ac ſexta Synodo deeſſe, ipſamet illorum ad Imperatorem allocutio teſtatur. Itaque nova dicenda eſt hæc Epiſcoporum coitio, ideoque Græci illam, ut ſcribit Balſamon πενθέκτην, id eſt, quintam-ſextam Synodum appellant. Ceterùm non fuiſſe omnes illos Canones à Romana Eccleſia receptos, duo viri rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimi, Anaſtaſius Bibliothecarius, & Humbertus Leonis IX. Legatus apertè teſtantur. Humbertus quidem his verbis: *Non autem miror, ſi Agathoni Papæ, & Sanctis Patribus ſextæ Synodi veſtra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis Capitula: cùm & ipſi Domino Jeſu, & Apoſtolis ejus imputetis figmenta. Unde nos ſcientes ſextam Synodum, ad deſtruendam hæreſim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas Conſtitutiones congregatam, Capitula, quæ nobis ſub ejus autoritate apponitis, omnino refutamus; quia prima & Apoſtolica Sedes, nec aliquando ea accepit, nec obſervat hactenus.* Anaſtaſius verò in præfatione in ſeptimam Synodum ad Joannem VIII. Romanum Pontificem ita ſcripſit: *Ergo regulas, quas Græci in ſexta Synodo perhibent editas, ita in hac ſeptima Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illa recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel Decretis Sanctorum Sedis hujus Pontificum, aut certè bonis moribus inveniuntur adverſæ: quamvis omnes hactenus ex toto ma-*